

IGNAZ KÜGLERS S. J. ELOGIUM FÜR KILIAN STUMPF S. J.
(1720) *

von Gert Naundorf

[Elogium, lateinischer Text]

Atque huc unice Patris Kiliani intentio tota dirigebatur, cum ad fabrilia usque servitia in gentili aula sese demitteret, ut veri Numinis cultus per universum imperium exaltaretur. Huc inter manuum opera dure mancipatus, irretorto semper⁷⁹ mentis oculo respexit, ut dispersis quaquaversum Christi ministris, connivente Rege et⁸⁰ provinciarum praesidibus, libertas esset fidei propagandae. Sudabat ille quidem ad ustrinae focum perdius quandoque et pernox, simul tamen calentiore⁸¹ intus ardebat⁸² caritatis igne, qua se pro Dei gloria et animarum salute, non solum ad ferendum aestus continuique laboris⁸³ pondus animabat, sed ad vitae usque et sanguinis profusionem devovebat. Hunc ejus animum loquuntur complura⁸⁴ in sacris annotatis incensa⁸⁵ martyrii desideria et purissimae intentionis formulae, quas actionibus suis praefigebat. Hoc legere erat in ipso viri vultu, quoties cunque⁸⁶ pro curando Missionis bono malove⁸⁷ avertendo vel consultabat vel opus aliquod aggrediebatur. Idem⁸⁸ zelus effecerat, ut⁸⁹ inter gravissimos etiam⁹⁰ labores, oblata⁹¹ occasione, neophytis per sese assistere sacraque ministrare non raro contenderet. In conversatione autem cum gentilibus solerter⁹² inspergeret, quae ad veri Dei vitaeque aeternae agnitionem inquirendaque salutis media suaviter poterant invitare. Quo et illud pertinet⁹³, quod plures e primis aulae ministris, summis imperii magistratibus, satrapis, regulisque, sive Pekini residentes, sive foris in provinciarum regimine⁹⁴ distentos, humili et officiosa humanitate amicos reddiderit et conservarit, non tam sibi, quam sanctae religioni

* Fortsetzung von ZMR 59 (1975), 269—285.

⁷⁹ semper fehlt LR, LP.

⁸⁰ ac LR, LP.

⁸¹ ardentiore LR, LP.

⁸² calebat LR, LP.

⁸³ laborisque continui LR, LP.

⁸⁴ complura fehlt LR, LP.

⁸⁵ inflammata LR, LP.

⁸⁶ cunque fehlt LR, LP.

⁸⁷ aut malo LR, LP.

⁸⁸ Idem fügen hinzu ipse LR, LP.

⁸⁹ ut fügen hinzu vel LR, LP.

⁹⁰ etiam fehlt LR, LP.

⁹¹ data LR, LP.

⁹² semper LR, LP.

⁹³ spectat LR, LP.

⁹⁴ regimine provinciarum LR, LP.

nostrae caeterisque operariis dispersim per Sinas⁹⁵ eam promoventibus. Neque⁹⁶ defuerunt istorum permulti⁹⁷, qui commendationem Patris Kiliani sibi commissisque⁹⁸ ecclesiis insigniter profuisse tutamentoque⁹⁹ extitisse grato animo contestarentur.

Occupationes hactenus indicatae¹⁰⁰ licet ejusmodi fuerint, ut inter plures alios¹⁰¹ divisae, singulos affatim distinere valeant, non suffecere tamen Patri Kiliano laborum et fatigationum nunquam saturo, quin amplius et amplius sitiret seque aliis gravioribus studiis lubens addiceret, ut Societati, communi matri nostrae dilectissimaeque ejus filiae, Sinensi Missioni¹⁰², sublevandis ancillaretur. Scripturarum intelligo molem, quas Pater per subseciva a reliquis negotiis intervalla (uti erat temporis¹⁰³ aestimator justus atque parcissimus) irrequieto calamo et incredibili prorsus vigiliarum tolerantia collegit ac concinnavit. Locuples ejus¹⁰⁴ rei testis est nostra¹⁰⁵ Romana Curia, cui per singulos annos, ex quo acrior adversariorum vis Societati ac Missioni¹⁰⁶ incubuit, bene magnam omnigenorum¹⁰⁷ scriptorum, et quae ad elucidanda firmandaque acta¹⁰⁸ valent, instrumentorum monumentorumque¹⁰⁹ copiam transmisit. Amplius testimonium dicit Collegium Pekinense, cujus tabularium seu archivum collectaneis suis instruxit atque¹¹⁰ ditavit tanto numero, ut attonitus haereas¹¹¹, qui fieri potuerit, hominem unum, tot inter et tam diversa distractum officia, iis exarandis satis fuisse. Neque scripta illa (prout paulo ante innui¹¹²) unius duntaxat generis aut ejusmodi erant, quae simplici egeant actuario¹¹³, qui plana historia res gestas in commentarios fastosque refert aut excribit, sed plura ex eo ordine, quae utpote in materia rituum magnam¹¹⁴ et sanctorum canonum et theologiae intelligentiam nec minorem in historia non modo ecclesiastica, sed etiam¹¹⁵ profana et gentilitia¹¹⁶ eruditionem requirant.

⁹⁵ Sinam *LP*.

⁹⁶ Nec *LR, LP*.

⁹⁷ complures istorum *LR, LP*.

⁹⁸ et commissis sibi *LR, LP*.

⁹⁹ ac tutamento *LR, LP*.

¹⁰⁰ Indicatae hactenus occupationes *LR, LP*.

¹⁰¹ alios plures *LP*.

¹⁰² Missioni Sinicae *LR, LP*.

¹⁰³ temporis erat *LP*.

¹⁰⁴ hujusce *LR*, hujus *LP*.

¹⁰⁵ nostra *fehlt LP*.

¹⁰⁶ Missioni *fügen hinzu* nostrae *LR, LP*.

¹⁰⁷ grandem omnis generis *LR, LP*.

¹⁰⁸ *fehlt LP*.

¹⁰⁹ monumentorumve *LR*.

¹¹⁰ ac *LR, LP*.

¹¹¹ attonitu haereas] obstupescas *LR, LP*.

¹¹² paulo ante innui] dictum est *LR, LP*.

¹¹³ actuario egeant *LR, LP*.

¹¹⁴ eximiam *LR, LP*.

¹¹⁵ et *LR, LP*.

¹¹⁶ ac gentilica *LR*.

Quid? Quod etiam in jure Societatis nostrae versatissimus extitit, nec minus in eodem asserendo strenuus ac firmus in defendendo. Agnoverunt hoc perspicue cum caeteri superiores, tum potissimum Admodum Reverendus Pater Noster, qui non modo indefessos illius¹¹⁷ conatus pluribus epistolis ubertim commendare probareque dignatus fuit, sed et meritum existimavit¹¹⁸, cui Collegii Pekinensis¹¹⁹ clavum ac supremos postea Visitatoris Sinarum ac¹²⁰ Japoniae fasces per patentes (ut vocamus) nominatim et¹²¹ primario crederet ac conferret. In utroque autem hoc munere, mirum est, quantum pro bono communi egerit tuleritque, cujus studio ita tenebatur, ut et sui et omnis privati affectus penitus oblitus fuisse, jure merito dici possit¹²². Argumento sunt pleraque, quae in actis Sinicis postremorum annorum referuntur, et hic repetere prolixum foret. Addo solum, quod etiam¹²³ inter summos diuturnae aegritudinis dolores, si quando novi discriminis quidpiam vel Societati vel Missioni vel utrique minitari inaudiebat¹²⁴, seipso fortior, majorem corporis viribus resumere animum¹²⁵ visus fuerit¹²⁶, ut cum aliter non posset, vel consiliis juvaret socios ad illud praecavendum aut propulsandum.

Verum quas animo styloque intrepido, ab externis insultibus¹²⁷ tam fortiter tutari ac propugnare allaboravit, non minore efficacia interius adaugere et exornare contendit, conspicuo religiosae vitae et apostolicarum virtutum exemplo, secundum leges et regulas Instituti nostri. Potiora compendio perstringamus.

Paupertatem sincere coluit ut matrem. Hanc probavit in victu frugali et praeparco. A vino abstemius, sola [aqua] frigida levabat sitim, vix in ultima infirmitate persuaderi sibi passus, ut tantillo vino temperaret aquam, quantum hujus affundunt alii, ne merum bibant. Domi vestitu utebatur vili et humilitati religiosae conformi, foris moderato pro regionis aulaeque hujus consuetudine. Pecunias, quae ex superiorum facultate ipsi obvenerunt, cum eadem liberaliter distribuit in pauperes, gentiles juxta ac Christianos, nec non in ecclesias et religiosos operarios complures, quos in provinciis indigere subsidio cognoverat¹²⁸. Utque hic murus Societatis universim firmus consisteret, factus superior prudenter cavit statuitque, si nostrum quibusdam notabilis argenti summa suppeteret, istam collegio alicui applicari, quod illis limitatas exinde eleemosynas pro necessitatibus varie occurrentibus rependeret.

¹¹⁷ ejus *LP.*

¹¹⁸ judicavit *LR, LP.*

¹¹⁹ Pekinensis Collegii *LR, LP.*

¹²⁰ et *LR.*

¹²¹ atque *LR, LP.*

¹²² posset *LP.*

¹²³ etiam *fehlt LP.*

¹²⁴ cognoscebat *LR, LP.*

¹²⁵ animum resumere *LR, LP.*

¹²⁶ fuit *LP.*

¹²⁷ externo insultu *LR, LP.*

¹²⁸ subsidio indigere didicerat *LR, LP.*

Castitatem quanti aestimaverit¹²⁹, vel istud¹³⁰ argumento sit, quod in morbo ad leniendos dolores¹³¹, qui acutissimi verecundas potissimum corporis partes afficiebant etiam in suprema debilitate nunquam admiserit, ut alienae manus medicamenta sibi fomentave¹³² applicarent, sed ipse id officii, ut potuit, cautissime aegro corpusculo adhibuerit¹³³. Unde et illud castae mentis propositum, generosum sane promanavit¹³⁴, quod in sacris adversariis sibi notaverat: Malo mori, quam uti remediis cum periculo foeditatis.

Non minus in ipso fuit exactae studium obedientiae¹³⁵, quam conformiter regulae, sicut erga superiores, ita et erga medicos corporales, utut medendi scientia haud paulo ipsomet inferiores, magna cum humilitate observavit. Ex istorum praescripto et victus rationem studiose¹³⁶ instituit et medicinas sumpsit, quantumvis insipidas parumque proficuas nosset. Pluries quidem superioribus proposuerat, se a medicamentis, quia effectu carentibus, parcendorum sumptuum gratia, omnino abstenturum. Illis tamen aliter judicantibus acquievit seque medicorum scitis obedienter subjecit¹³⁷. Pari ratione spiritualia quoque media ex superiorum nutu unice voluit dependere, quidquid enim pro recuperanda sanitate vel piorum operum vel voti promisit suscepitve, non nisi ex illorum¹³⁸ consilio egit et approbatione. Quid mirum, si hominibus propter Deum tam humiliter subditus, divinae pariter se voluntati plenissime conformavit, hanc precandi formulam frequentans¹³⁹: Domine Jesu, da mihi sanitatem et vires corporis, quibus utar ad gloriam tuam et animarum salutem; si non dederis, sit pariter nomen tuum benedictum. Hinc denique est, quod solemne adeo habuerit¹⁴⁰, in re dubia consilium ab se expetentibus, hanc praecipue gnomen reponere, ut superiorum beneplacito vel cognito vel exquirendo, quam proxime possent, se accomodarent, hoc pacto securissime operaturos.

Triplici huic religiosae vitae fundamento, solidius stabiliendo, spiritum adhibuit orationis, tantopere et omnibus nostris¹⁴¹ et superioribus maxime commendatum. Hunc exercebat frequentibus iisque¹⁴² ignitis ad Deum suspiriis, quibus labores suos non tam interrompebat, quam condiebat. Hunc acuebat tum sedulo examinis¹⁴³ usu, quod cum sancto parente

¹²⁹ amaverit *LP*.

¹³⁰ hoc *LR, LP*.

¹³¹ in morbo *fehlt LR, LP*.

¹³² fomentave sibi *LR, LP*.

¹³³ exhibuerit *LR*.

¹³⁴ castae ... promanavit] generosum castae mentis propositum emanavit *LR, LP*.

¹³⁵ in ipso ... obedientiae] studium exactae in ipso obedientiae fuit *LR, LP*.

¹³⁶ pudiose *LP*.

¹³⁷ acquievit ... subjecit] obedienter se medicorum scitis subjecit *LR, LP*.

¹³⁸ eorum *LP*.

¹³⁹ hanc ... frequentans] hac formula precandi usus *LR, LP*.

¹⁴⁰ Hinc ... habuerit] Hinc solemne etiam habuit *LR, LP*.

¹⁴¹ nostris *fehlt LP*.

¹⁴² et *LP*.

¹⁴³ examinis *fügen hinzu* particularis *LR, LP*.

nostro particulare dicimus¹⁴⁴, tum sollicita ad singulos horae pulsus collectione animi¹⁴⁵ et innovata cum Deo unione. Hunc nutriebat avida piorum librorum¹⁴⁶ volutatione, cui suum religiose tempus dicabat. Praecipue autem oblectabatur asceticis Patris Lessii opusculis, forte ob affecti corporis similitudinem cum magno illo patientiae heroe, itemque vitis sanctorum et beatorum nostrorum, quas legendo relegendoque saepius triverat, ut ad imitationem sese¹⁴⁷ excitaret et genuinum inde Societatis spiritum hauriret.

Et assecutum fuisse¹⁴⁸ persuadere potest, quod facili admodum fraeno¹⁴⁹ edomitos sub rationis iugo appetitus animi¹⁵⁰ contineret. Millies id comprobavit, cum primis inter operas Sinenses, quarum incitiam, morositatem, genium moresque ita¹⁵¹ exoticos, ut verissime¹⁵² Europaeae virtutis cos appellentur, mira longanimitate sustinuit. Deinde in casibus adversis quibuscunque¹⁵³, etsi in gravissimi re momenti, praeter omnem expectationem procellae instar irruerent, semper enim sibi praesens, semper erecto animo, nunquam turbari visus fuit, quin pluribus, quibus circumcingebatur, negotiis rite¹⁵⁴ expediendis¹⁵⁵ idoneus inveniretur.

Ejus humilitatem, jam sparsim memoratam¹⁵⁶, ulterius non medio-criter commendat, quod etiam cum superior esset, quae pro communi causa scripsit sive epistolas sive apologias sive annotationes ad acta et cetera¹⁵⁷, semper aliorum censuris sponte¹⁵⁸ subjecerit, priusquam, quo destinabantur¹⁵⁹, dimitteret. Crisesque tametsi quandoque parum benignas, aequanimiter sustinuerit¹⁶⁰, minime reluctatus, alieno arbitrio¹⁶¹ lituras correctionesque facere, partumve interdum omnino suppressere. Praeterea quando ejus operibus et artefactis cuncta applaudebat aula¹⁶², nemo vidit fastu turgidum, nemo elatum se aliis praeferre. Sed neque ullis aulae favoribus unquam se capi permisit¹⁶³ aut vanitate illius¹⁶⁴ vitii

¹⁴⁴ quod ... dicimus *fehlt LR, LP*.

¹⁴⁵ animae *LR*.

¹⁴⁶ librorum spiritualium *LR, LP*.

¹⁴⁷ se *LP*.

¹⁴⁸ esse *LP*.

¹⁴⁹ freno *LP*.

¹⁵⁰ rationis ... animi] iugo appetitus passionesque *LR, LP*.

¹⁵¹ ita *fehlt LP*.

¹⁵² vere *LR, LP*.

¹⁵³ quibuscunque adversis *LR, LP*.

¹⁵⁴ apte *LR, LP*.

¹⁵⁵ expediendis *fügt hinzu aptus LP*.

¹⁵⁶ commemoratam *LP*.

¹⁵⁷ sive annotatione ... et cetera *fehlt LR, LP*.

¹⁵⁸ sponte *fehlt LP*.

¹⁵⁹ destinatae erant *LR, LP*.

¹⁶⁰ Crisesque ... sustinuerit] eorumque crises aequanimiter sustinuerit, tametsi quandoque parum benignas *LR, LP*.

¹⁶¹ alineo arbitrio *fehlt LR, LP*.

¹⁶² cuncta ... aula] omnis aula applaudebat *LR, LP*.

¹⁶³ se capi permisit] capi *LR, LP*.

¹⁶⁴ aliisve ejus *LR, LP*.

a recti tramite vel minimum deflecti¹⁶⁵. Certe¹⁶⁶ adulationem perosus¹⁶⁷ omnem placere abhorruit cum offendiculo veritatis, germanae contra¹⁶⁸ sinceritatis tenax, elegit displicere, quam istam¹⁶⁹ dimittere.

Praefixam mihi brevitatem transgrederer, si singulas Patris Kiliani¹⁷⁰ persequi virtutes velim. Juvabit cunctas, uno quasi obtutu, simul unitas¹⁷¹ contemplari, quando ultimis vitae¹⁷² annis, ut consummationes istae¹⁷³ redderentur, validis tentationibus, velut alter Jobus aut Tobias, Domino sic disponente¹⁷⁴, probatus fuit. In adversitatum sane igne admodum patuit¹⁷⁵, Patrem Kilianum pro struendo religiosae perfectionis aedificio non lignum, non foenum aut stipulam evanidae hypocrisis vel imbecillae virtutis¹⁷⁶, sed aurum, sed argentum et lapides pretiosos solidissimae fortitudinis ac probatissimae¹⁷⁷ caritatis, nobilem architectum comportasse.

Praemitto tentationes corpori graves, quibus Pater ipse, justo in se rigidior duriorque, non nullam¹⁷⁸ ansam praebuilt. Ex nimia enim contentione animi, in opus semper pro communi bono¹⁷⁹ intenti, omissa quiete et remissione necessaria¹⁸⁰, provocati tandem dolores nephritici¹⁸¹ subnati-que in renibus et vesica calculi, corpus alias extenuatum¹⁸² acerbissime lancinabant. Per aliquot annos istorum furor temporarius fuit et interruptus, postremo triennio quasi continuus et stranguria, dysuria, evomitione, flatibus per exulceratam vesicam vicinosque meatus saevientibus ac quidquid dolorificorum symptomatum id genus morbi comitari solet, nec non vehementissima multoties cephalalgia stipatus. Toto hoc tempore sedendi ferme¹⁸³ impotens, quietem primo (si tamen quietis vocabulum hic locum habere queat¹⁸⁴) non nisi in pedibus quaerere coactus, assiduo propemodum motu aegrum corpus grallis seu verius gemina cruce subnixum, per cubiculum trahebat¹⁸⁵. Tandem etiam pedes defecere anno-

¹⁶⁵ deflecti *fügen hinzu* potuit LR, LP.

¹⁶⁶ Certe *fehlt* LR, LP.

¹⁶⁷ prorsus LP.

¹⁶⁸ contra *fehlt* LR, LP.

¹⁶⁹ illam LR.

¹⁷⁰ Patris Kiliani singulas LR, LP.

¹⁷¹ unitas simul LR, LP.

¹⁷² vitae *fügen hinzu* suae LR, LP.

¹⁷³ illae LR, LP.

¹⁷⁴ sic disponente Domino LR, LP.

¹⁷⁵ In ... patuit] Sane admodum in adversitatum igne luculenter patuit LR; *ebenso ohne* luculenter LP.

¹⁷⁶ vel imbecillae virtutis *fehlt* LR, LP.

¹⁷⁷ fortitudinis ac probatissimae *fehlt* LR, LP.

¹⁷⁸ justo ... non nullam] in se rigidior justoque durior LR, LP.

¹⁷⁹ pro communi bono *fehlt* LR, LP.

¹⁸⁰ omissa ... necessaria *fehlt* LP.

¹⁸¹ nephritici dolores LR, LP.

¹⁸² corpus alias extenuatum] extenuatum corpus LR, LP.

¹⁸³ ferme *fehlt* LR, LP.

¹⁸⁴ quietis ... queat] huic nomini locus esse possit LR, LP.

¹⁸⁵ grallis ... trahebat] per cubiculum trahebat, grallis seu verius gemina cruce subnixum LR, LP.

que ultimo ossa vix pelle haerentia in lecto deponere necesse fuit, cum gravissima tamen horis pene singulis surgendi incommoditate, quam stil-lantis lotii dura sane et oppido dolorosa necessitas imponebat. Adde ido-neorum medicorum defectum; etsi enim Regii ex aula submissi ad aegrum per vices ventitarent, quid tamen ab iis remedii expectes¹⁸⁶, qui speciem ignorant morbi et vixdum nomen intelligunt? Adde aptorum¹⁸⁷ medica-minum penuriam, quae enim¹⁸⁸ ex Europaeis libris praestare noscebantur¹⁸⁹, in promptu non erant, nec facilia comparatu¹⁹⁰. Adde tergi et costa-rum vulnera ex diuturna cubatione, adde alias et senii et loci temporis-que familiares molestias; et integrum in uno corpore nosocomium¹⁹¹ habebis.

Atque in hoc miseriarum theatro constitutus Pater querulam edere vocem notatus est nunquam. Ex meditatione nempe perpetuae crucis Christi, de qua tractantem libellum (Patris Jodoci Andries) continuo usuolvebat, ad tolerantiam non fortem modo et constantem, sed alacrem quoque cum plena sui resignatione identidem se animabat. In summo aestu saevientis cruciatus non nisi ab ingeminatis sexcenties¹⁹² Jesu et Mariae nominibus levamen inquirebat. Aliquoties interseruit: Sanctissima Trinitas, miserere mei et da unicam horulam¹⁹³ quietis, veruntamen tua voluntas fiat. In hunc sensum solus cum solo Deo ac Caelitibus inter suspiria collocutus, dies saepe fallebat integros noctesque humana solatia nec desiderans atque ultro oblata aegre admittens. Ut adeo non admirationi minus quam commiserationi esset gentilibus juxta ac Christianis, quotquot in dolo-rum¹⁹⁴ palaestra cum summa¹⁹⁵ animi aequitate luctantem contuebantur vidimusque ab ipso perfecte adimpleri regulam¹⁹⁶, quae aegrotis commen-dat, non minorem aedificationem¹⁹⁷, quam dum¹⁹⁸ valent corpore, praestare iis quibus cum¹⁹⁹ versantur et agunt, ad majorem Dei gloriam adnitantur²⁰⁰.

Accidit quidem divino favore, ut per vices lapillos aliquot eniteretur, exiguum tamen lenimentum sensit et vix erat a laniena cessatio, quia haerebant loco duriores alii, vel de novo succreverunt, qui illos protruse-rant. Hi interim calculi, dum scabritie et asperitate sua, non sine aspec-

¹⁸⁶ remedii exspectes ab iis *LP*.

¹⁸⁷ aptorum *fehlt LR, LP*.

¹⁸⁸ namque *LR, LP*.

¹⁸⁹ sciuntur *LR, LP*.

¹⁹⁰ in promptu ... comparatu] difficile est hic comparare *LR, LP*.

¹⁹¹ nosodochium *LR, LP*.

¹⁹² sexcenties *fehlt LP*.

¹⁹³ horam *LP*.

¹⁹⁴ dolorum] in miseriarum *LR, LP*.

¹⁹⁵ suprema *LR, LP*.

¹⁹⁶ regulam *fügt hinzu illam LP*.

¹⁹⁷ non minorem aedificationem] ut aedificationem non minorem *LP*.

¹⁹⁸ cum *LP*.

¹⁹⁹ cum quibus *LP*.

²⁰⁰ vidimusque ... adnitantur *fehlt LR*.

tantium horrore, ob oculos ponebat diritatem martyrii, quo aegrum divexarunt²⁰¹, solo colore spem firmabant, candidos sibi in retributionis loco calculos respondere.

Neque impar athletae generositas minusve eluxit robur in perferendis²⁰², quae supra dolores corporis ipsum animum haud paulo acerbius feriebant alteramque tentationum classem constituunt. Hujusmodi erant Missionis diuturna calamitas et ex omni parte imminens ruina, quidquid ipse cum suis supremo nisu ad tuendum congereret, desolatio Christicolarum, qui inde a gentilibus et iniquis praefectis familiae suae ac fortunis vim inferri, hinc arctam alias salutis viam sibi arctiorem ac in praesente²⁰³ rerum statu vere impossibilem reddi lamentabantur, perplexitas ministrorum, qui officia caritatis sponte suscepta²⁰⁴ jam in onus ultra humanas vires²⁰⁵ ponderosum conversa quiritabantur, anxii, ne aut hac in debita Sanctae Sedi observantia delinquerent²⁰⁶ aut illac in animarum perniciem cooperarentur. Cum singulis his infirmabatur Pater Kilianus, et omnium ecclesiarum sollicitudine incensus, non cessabat solari²⁰⁷ ac protegere illos, istos dirigere et animare utrosque ad longanimitatem et perseverantiam cohortari.

Interim et Societatis fama in discrimen venit, fraudulentis adversariorum calumniis impetita, quibus ex ipsa²⁰⁸ Patris infirmitate²⁰⁹ vigor addi et animus crescere videbatur, ut et illam unaque Patris existimationem tanto audentius insolentiusque convellerent coram toto orbe²¹⁰. Grave vulnus vel²¹¹ robuste²¹² valenti, nedum lethaliter aegro haec infligere poterant. Verum ille sibi constans, animo non concidit et propriam quidem causam pensi non habens, totam commisit Deo²¹³. Sociorum vero matrisque amantissimae [iura] vindicare sui esse officii ratus, pro veritate et innocentia stetit, fixus eas partes non deserere²¹⁴, dum spiritus suppeteret. Sacrosanctum nihilominus²¹⁵ habuit, omnem sinistram erga adversantes affectum procul seponere, eos in²¹⁶ corde amare et beneficiis quandoque²¹⁷ prosequi, divinam denique²¹⁸ Majestatem ardentem pro iis deprecari²¹⁹.

²⁰¹ ob oculos ... divexarunt] diritatem martyrii, quo aegrum divexarunt, ob oculos ponebant LR, LP.

²⁰² perferendis *fügen hinzu* illis LR, LP.

²⁰³ praesenti LR, LP.

²⁰⁴ officia ... suscepta] suscepta sponte caritatis officia LR, LP.

²⁰⁵ vires humanas LP.

²⁰⁶ debita ... delinquerent] observantia Sanctae Sedi debita offenderent LR, LP.

²⁰⁷ solare LP.

²⁰⁸ ipsa *fehlt* LP.

²⁰⁹ infirmitate Patris LR, LP.

²¹⁰ insolentiusque ... orbe] insolentius coram toto orbe convellerent LR, LP.

²¹¹ vel *fügen hinzu* bene LR, LP.

²¹² robuste *fehlt* LR, LP.

²¹³ Deo commisit LR, LP.

²¹⁴ deferre LP.

²¹⁵ interea LP.

²¹⁶ ex LP.

²¹⁷ beneficiis quandoque] non raro beneficiis LP.

²¹⁸ quoque LP. ²¹⁹ Sacrosanctum ... deprecari *fehlt* LR.

Atque²²⁰ ut brevitatis gratia adversitates caeteras²²¹ silentio volvam, in complementum desiderii, quo totus in holocaustum Creatori suo consumi flagitabat²²², obvenire sibi tandem²²³ et illud sensit, quod in apologis emerito sonipedi vertagoque senescenti accidisse narratur. Offenderat Imperatorem productior Patris morbus, quod serviendo ut ante non esset, nec in palatio villaque regia frequens jam²²⁴ assistere posset. Simul et alia incusatio accessit²²⁵ inimici hominis, per tertium in aures monarchae²²⁶ maligne susurrantis. Inde factum, ut animum erga Patrem immutaret Rex et velut jam sibi inutilem pro mortuo haberet, desistens percontari, quod factitare alias solebat²²⁷, quomodo valeret Kilianus. Neque hic ictus virum fortem dejecit, minime ignarum, mercedem sibi apud altioiorem Dominum repositam esse, cui dudum omnem consecrasset, quam gentili principi addixerat operam. Et nihilo deinceps minus sua per alienas manus servitia, quantum licuit, praestare perrexit, donec verticalis quadrans et mole et opere insignis supraque horizontalem circulum exacte suaviterque volubilis, quos ambos una cum angusto pede et geminis utrinque columnis, ex aere solido pro regiae hujus astrophica specula de novo fabricarat²²⁸, ibidem erigeretur, magno speculae in concinnioiorem formam prolatae ornamento.

Ab hoc opere quod superfuit vitae miserae ac mortalis²²⁹ semestre, ab humanis prorsus se segregans, totum impendit seriae ad mortem praeparationi, qua dissolvi et esse cum Christo vehementer cupiebat, ita tamen, ut sanctorum exemplo non recusaret laborem pro dilecta Sinensi Ecclesia²³⁰ si Domino placeret per infinitam misericordiam suam, vires pristinas sibi restituere, quas in tanta operariorum paucitate curandae Sinarum salutis²³¹ unice dicare volebat. In illum²³² finem semel iterumque totius vitae noxas in sacra exomologesi humiliter relegens, expiavit et quovis octiduo ter quater a quotidianis absolvi erratis, demissa sui accusatione supplicavit²³³, eucharistico epulo singulis dominicis festisque diebus

²²⁰ Denique *LR, LP*.

²²¹ alias *LR, LP*.

²²² ardebat *LR, LP*.

²²³ tandem *fehlt LR*; sibi tandem *fehlt LP*.

²²⁴ jam *fehlt LR, LP*.

²²⁵ accessit incusatio *LR, LP*.

²²⁶ regias *LR, LP*.

²²⁷ factitare alias solebat] alias factitare solebat *LR*; alias factitabat *LP*.

²²⁸ verticalis ... fabricarat] novus, quem pro regiae hujus astrophica specula ex auricalco fabricarat, verticalis quadrans et mole et opere insignis supraque horizontalem circulum exacte et suaviter volubilis *LR, LP*.

²²⁹ Ab ... mortalis] Quod ab hoc opere superfuit miserae ac mortalis vitae *LR, LP*.

²³⁰ dilecta Sinensi Ecclesia] Ecclesia Sinensis *LR, LP*.

²³¹ in tanta ... salutis] curandae Sinarum salutis in tanta operariorum paucitate *LR, LP*.

²³² cum *LP*.

²³³ expetiit *LR, LP*.

(sicut²³⁴ jam ante, quantum vis aegritudinis permisit, assueverat) intensiore²³⁵ cum fervore accumbens. Gratiam beati obitus et siquid aliud placitum esset divinae Majestati, ut sibi impetrarent, protracto in novem dies cultu, nunc Virgineam Dei Matrem, nunc sanctissimum²³⁶ huius sponsum²³⁷, nunc divos et beatos nostros, speciatim beati titulo recentius²³⁸ insignitum Patrem Joannem Franciscum Regis²³⁹, in vota suppliciter²⁴⁰ vocavit. Lectioni sacrae impensius vacans, cum eam tandem peragere ipsemet²⁴¹ non valeret, intendere praelegente alio rogavit, non aliam tamen audire selegit²⁴², quam familiares sibi de perpetua Christi cruce affectus et magni Hipponensium praesulis exemplo psalmorum hebdomadam, quos ecclesia de poenitentia cognominat.

His aliisque similibus virtutum exercitiis praecludebat ultimae luctae Pater optimus, cum die²⁴³ 12. Julii currentis anni 1720 sub occasum solis, validus terrae motus et Pekinensem urbem²⁴⁴ et circumjectam late regionem horrificè succussit. Hunc in praenuntium vicinae mortis²⁴⁵ accepit aeger ideoque mane proxime insequente sacro muniri viatico²⁴⁶ petiit et obtinuit. Circumacto octiduo eundem aeternitatis cibum iteravit, jam extreme debilis, ut difficulter²⁴⁷ verba moliretur, licet plene²⁴⁸ sibi praesens menteque²⁴⁹ tranquillus et pacatus²⁵⁰ persisteret. Supervenit postridie levis dysenteria cum pectoris inflammatione, quarum vi emeritus pugil intra biduum, postrema ecclesiae unctione, ipsomet petente, rite corroboratus, supremum²⁵¹ agonem subiit consummavitque in adgeniculantium corona sociorum²⁵² decertantique bene precantium, placidissime expirans die 24. Julii paulo post mediam nonam matutinam aetatis suae anno sexagesimo quinto ad finem decurrente. In Societate septimum et quadragesimum nuperrime expleverat et in Missione Sinensi sextum supra vicesi-

²³⁴ sicuti *LR*.

²³⁵ intentione *LP*.

²³⁶ sacratissimum *LP*.

²³⁷ sponsum *fügen hinzu* Josephum *LR, LP*.

²³⁸ recentius beati titulo *LR, LP*.

²³⁹ Regis *fehlt LR, LP*.

²⁴⁰ suppliciter in vota *LR, LP*.

²⁴¹ eam ... ipsemet] eam peragere tandem ipse *LR*; peragere eam tandem ipse *LP*.

²⁴² intendere ... selegit] audire praelegente alio rogavit, non aliam tamen *LR, LP*.

²⁴³ similibus ... die] similibus virtutum exercitiis interpolabat martyrium suum Pater optimus, donec *LR*; virtutum exercitiis similibus interpolabat (*weiter wie LR*) *LP*.

²⁴⁴ urbem Pekinensem *LR, LP*.

²⁴⁵ vicinae mortis] mortis suae *LR, LP*.

²⁴⁶ mane ... viatico] sequente mane sacro mox viatico muniri *LR, LP*.

²⁴⁷ difficulter *fügen hinzu* jam *LR, LP*.

²⁴⁸ plenissime *LR, LP*.

²⁴⁹ et mente *LR, LP*.

²⁵⁰ pacatusque *LR, LP*.

²⁵¹ corroboratus, supremum] instructus, ultimum *LR, LP*.

²⁵² sociorum corona *LR, LP*.

mun, meritis in utraque collectis dives, quorum praemium unaque heroi-
cae laureolam tolerantiae ab aeterno, ut speramus, Remuneratore jam
receptat.

Decessus Patris²⁵³ ubi per civitatem innotuit, ad condolendum et hono-
randum funus non modo Tribunalis Mathematici assessores et contribules,
sed omnis ordinis et dignitatis magistratus confluerunt. Ipsi etiam colai
(quo vocabulo²⁵⁴ primos imperii administros indigitant Sinae) adfuere,
tanti viri iacturae illacrymantes. Non pauci illorum auro exarata defuncti
praeconia in amplis telis sericis more Sinico suspenderunt. Alii expensas
funebres liberali munere sublevare conati sunt. Filius Imperatoris nono-
genitus pro suo in Patrem Kilianum²⁵⁵ studio centum argenti uncias dona-
vit. Demum 13. die Augusti conspicuo apparatu et ad majestatem sanctae
religionis nostrae composito, funus ad sepulturam delatum fuit. Procede-
bant bini longo ordine Christiana communitas, comitabantur magno etiam
numero varii praefecti et palatini²⁵⁶, illi patrem et protectorem, hi ami-
cum et collegam ultimo honore non sine copioso²⁵⁷ fletu prosecuti.

Nos vero Patri optimo, qui apud omnes, externos aequae ac domesticos,
ob egregia merita et communem excellentis scientiae ac consummatae
virtutis existimationem, ingens sui desiderium²⁵⁸ reliquit, brevis epitaphii
loco, hoc²⁵⁹ elogium apponimus: **Plus omnibus laboravit sive agentem
spectes sive patientem***.

[Elogium, Übersetzung]

Und eben darauf war in einzigartiger Weise das ganze Bestreben
Pater Kilians gerichtet, als er sich zum Handwerks-, ja bis zum Sklaven-
dienst am heidnischen Hofe erniedrigte, damit die Verehrung des wahren
Gottes im gesamten Reich erhöht werde. Obwohl durch körperliche Arbeit
stark beansprucht, schaute sein stets vorwärtsgerichtetes Auge darauf, daß
Herrscher und Provinzgouverneure sich willfährig zeigten und den überall
verstreuten Missionaren die Freiheit der Glaubensverkündigung ver-

²⁵³ ejus LR, LP.

²⁵⁴ nomine LP.

²⁵⁵ Kilianum fehlt LR.

²⁵⁶ et palatini fehlt LR, LP.

²⁵⁷ copioso fehlt LR, LP.

²⁵⁸ ob egregia ... desiderium] ingens sui desiderium ob egregia merita et com-
munem excellentis scientiae et consummatae virtutis existimationem LR.

²⁵⁹ isthoc LR, LP.

* Bei der Edition des Textes erschienen folgende leichte Eingriffe gerechtfertigt:
Die Zahl der Kommata wurde verringert, die Großschreibung bei zahlreichen
Worten zugunsten der Kleinschreibung aufgegeben. In einigen Fällen wurden
der besseren Gliederung wegen Punkte gesetzt. Das *Elogium* läßt im Gegensatz
zu den *Laudes* „s“ nach dem Präfix „ex-“ aus, z. B. expectatio statt des üblichen
exspectatio. Die Schreibweise des *Elogiums* wurde beibehalten, aber nicht ange-
merkt. Abkürzungen sind aufgelöst worden.

bliebe. Tagsüber und manchmal auch nachts schwitzte er vor dem Schmelzofen, zugleich jedoch brannte in ihm das noch heißere Feuer tätiger Liebe, durch das er sich zur Ehre Gottes und zum Heil der Seelen nicht nur zum Ertragen der Hitze und der Last der dauernden Arbeit antrieb, sondern sich bis zur Hingabe von Leben und Blut aufopferte. Von solcher Geisteshaltung sprechen in seinen geistlichen Aufzeichnungen die vielen brennenden Wünsche nach dem Martyrium und die Erklärungen reinster Absicht, die er seinen Handlungen voranstellte. Das war schon in den Gesichtszügen dieses Mannes zu lesen, wann immer er einen Rat gab oder eine Aufgabe in Angriff nahm, um das Wohl der Mission zu fördern und Unheil von ihr abzuwenden. Der gleiche Eifer hatte bewirkt, daß er — wenn sich eine Gelegenheit dazu bot — sich bemühte, auch unter schwersten Anstrengungen den Neugetauften persönlich beizustehen und nicht selten ihnen Gottesdienst zu halten. In der Unterhaltung mit den Heiden dagegen streute er geschickt ein, was zur Anerkennung des wahren Gottes, des ewigen Lebens und zur Erforschung der Mittel des Heils anziehend einladen könnte. Dazu gehört auch, daß er sich mehrere von den ersten Ministern des Hofes, höchsten Reichsbeamten, Statthaltern und Fürsten, seien sie in Peking wohnhaft oder draußen mit der Verwaltung der Provinzen befaßt, durch seine bescheidene und zuvorkommende Menschenfreundlichkeit zu Freunden machte und sie als solche nicht nur sich bewahrte, sondern auch unserer heiligen Religion sowie den übrigen Missionaren, die in China verstreut, sie [die Religion] förderten. Und es waren darunter sehr viele, die dankbaren Herzens bezeugten, daß eine Empfehlung durch Pater Kilian ihnen und den anvertrauten Kirchengemeinden hervorragend genützt und zum Schutz gereicht habe.

Wenn die bisher genannten Beschäftigungen auch der Art waren, daß sie, unter mehrere Personen aufgeteilt, jeden einzelnen hinreichend zu beschäftigen vermocht hätten, so genügten sie jedoch nicht dem Pater Kilian, so daß er nach immer mehr düsterte und sich noch weiteren schwierigen Aufgaben zur Verfügung stellte, um beim Aufbau der Gesellschaft, unserer gemeinsamen Mutter, und ihrer teuersten Tochter, der chinesischen Mission, zu dienen. Ich weiß um die Masse der Schriften, welche der Pater in der von den übrigen Beschäftigungen abgefallenen Freizeit (da er ein genauer und sparsamer Nützer der Zeit war) mit rastloser Feder und mit unglaublicher Geduld in durchwachten Nächten gesammelt und verfaßt hat. Ein zuverlässiger Zeuge in der Sache ist unsere römische Kurie^h, welcher er jedes Jahr — seit die Gewalt der Gegner der Gesellschaft und der Mission ungestümer zusetzte — eine große Menge von Schriften aller Art, welche zur Erhellung und Feststellung des Geschehenen dienten, sowie von Beweisstücken und Dokumenten zugesandt hat. Ein noch beredteres Zeugnis legt das Pekinger Kolleg ab, dessen Registratur oder Archiv er mit seinen Sammlungen ausrüstete und in so

^h Kurie ist hier nicht der Vatikan, sondern das Generalatshaus der Jesuiten in Rom.

